

Inf. 10.013

no. 7. 6

D. IOANNIS
ALEXANDRI BRASSICA
NI, POETAE ET ORATO
RIS A CESARE LAV
REATI.

CAESAR

LIBELLVS.

Cesar vt an sancto est animo sup. ethera ductus
Sic superat celfos, per mea verba, polos
Quare eme, pellegito, leuis est merx, ardua lae.
Copia, Mgonio s quæ decussit auos. (dis
.C.H. VV.

M. N. MUSEUM
KÖNYV-
TÁRABÓL

Michaeli Humelbergio Iureconsulto R. Græcæ &
latinae linguae Polyhistori Dñ. & amico suo
modis omnibus charis. Ioannes Ale-
xander Brassicanus Poëta & Ora-
tor à Cæsare laureatus.

Salve, Doctorū clarissima stella virorū
Pande fores, pleno numine Cæsar adest.
Cæsar adest, nostris fidibus cantatus ad astra
Cæsar adest, scriptis dignus ubiq; bonis
Cæsar adest, charitū cultoribus ancora quondam
Vnica & incerto corbita certa freto.
Cæsar adest, mundi ferrata columna, Michael
Dimidiū nostri corporis atq; animæ?
Pande igitur suummo, tua limina pande Dynastæ
Cæsar adest, patriæ Maximus ille pater.
Valle crucis sanctæ residens, mihi charior auro
Herckmannus, multo pandet honore fores.
Omnia aperta manent celeberrima nomina diui
Cæsaris, auratis nomina digna notis
Viue, vale, sanus, Mea vita, diserte Michael
Viuat & Herckmannus Gorgia lustra meus.

Tubingæ, ex phrontisterio nostro anno
à Christo nato M. D. XLX, Mensis.
Maij die XV.

CLARISS. ATQVE

humanis, viro Counrado Peutingero

Augustano

Diuini & Humani iuris consultis, DN. & Mæ-
cenati suo candidis.

Ioannes Alexander Brassicanus Poeta & Orator
a Cæsare laureatus.

S. D. P.

ORnatiss. vir. Dici non potest, q̃ acerbe feram diui
Maximil. cæs. opt. max. imaturū atq; adeo oibus
qui vel boni viri pilū habent importunitate ipsa
importuniorē obitū, Sed quid vel Simonideg
lachrymæ, aut Niobes dolores profunt, abiit in
communem locum, Ingens humanæ fragilitatis
exemplum nihil esse tam summū: nihil tam supra pericula ten-
dere. Quod nō insperatis, mortis aduancinæ feriant ruinae,
quodq; non Solstitiali morbo decidat. Serius aut citius sedem
properamus ad vnam. O si viueret Maximilianus, Amor mun-
di, orbis delicia, Germaniæ oculus, populi salus, Bonorū orche-
stra, Probitatis datus, Cæsar innocens, Princeps clementis,
Qui sacri Rhomani Imperij vallum atq; fossa fuit, Quo melior
non repertus Quo iustiorē non radiolus sol vidit, Qui Ger-
maniam bellis minime bellis fluctuantē composuit, tanq; tran-
quillam, quam mare cum ibi educit pullos suos alcedo, reddi-
dit, Qui principes pulchram apparans fabricam, tenacis, fidei
glutino coniunxit, Qui intestinis estuantes odijs aut volentes
paci restituit, aut nolentes obrorto collo totis euerit fundis,
Digna dignis vndiq; tribuens, Qui regionem ceruigeram (pa-
lumbe iam ad aream vsq; adducta) cmi oculi ictu hostibus ex-
positam, tam longis anfractibus, tam versicoloribus consilijs,
vt modo res ipsa docet, tutatus est. O si viueret Maximilianus
Qui Venetos, sine cornibus hircos, Sybaritico turgidos spiritu,

A ij

Quibus nemo, neq; fuit, est, aut erit vnq; punior, non tam magnis q; dignis adfectu incommodis. Qui Bohemicę superstitionis perfidia, liquidis auspicijs fudit atq; compressit. Qui Italię Merito Marte sua, suis tamen recalcitrantem legibus curriculo in ordinem redegit. Sed vulpes pilos, mores non mutat. Qui patriam suam cuius fumus igne alieno luculentior Manu vindice nec minus regio quā magno instituto repetitam, pace sanctis, atq; Eleutheris perpetuis donauit. O si viueret Maximilianus, Qui (vt longis vtar nominibus) amicos illos, veluti mundi portentū Heliogabalus dicebat Ixionios atq; vere matulas. Nugipololoquides, Argentiexterebronides, Nummorum Expalponides, tum semel arripides, Et nunq; eripides. Pecuniarū meros accipitres atq; vultorios. toto inllectatus est pectore. Qui nunq; ad aures puris, pestilentis, crabrones nil nisi euge illud sonantes alienarum aurium diligentis, aucupes admisit. Qui incolis bene moratis, perfidia, peculatu, auaricia, ambitione, inuidia, obreftatione, periurio indiligentia, iniuria, ceterisq; illius chori vitijs exulib. pulchre muniuit oppida. Qui dñm magno sacellio nudari credidit, fauore populi sui destitutum, Qui vt infinita decora verbo complectar Philippum genuit, malis autibus tam immaturo interitu. Iouis pictatio adscriptum, Sed ille principum decus. licet dudū Charonti danacem dederit. Viuit tamen. incomparabili beneficio. D. Desyderij Erasmi Roterodami. Quo candidiorem non tulit orbis. Neq; fert, neq; feret vnq; O si viueret Maximilianus. Qui gentilitia insignia nobilitatq; imagines. non diuitijs. non fauore Sed probatis gestis, atq; signatis morib. estimauit. Qui nouit pulchrius bono ingenio. quā auro multo ornatum esse. aurum enim intentę fortunę Baliste est. In natura autem bonū ingenij inuenitur. Qui solus mortualem diem certis quibusdam calculis nouisse creditur, Qui solus. semper cauere, nouit esse dictum sapientis. nam ἡ πόσις καὶ ἡ σωτηρία οὐκ ἐν ἀνθρώποις ἐστίν. O si viueret Maximilianus Qui sanctissima Phocion. moderatione Scipio. integritate & continentia Cato, magnanimitate Pompeius, fide Fabricius. pietate regulus. temperantia Curius. iusticia Camillus. magnificentia Lucullus. humanitate Marcellus. eloquio Tullius. sententijs Pericles. Scire & breuiter dictis Augustus, Linguarū cognitione Quemuis Mithridatem superans. In cōtemnenda auaricia. omni-

nium victorum Metropoli quouis Stoico rotundo constantior Vnus in omnibus omnia, & cum vt Cl. Claudianus Poeta christianus scribit, mortalib. ex quo tellus cepta coli, nunq; sincera bonorum fors vlli concessa viro. at alia dos alio adsit homini. Maximilianus erat in quem mixta fluebant omnia, quę in ceteros diuisa. O si viueret Maximilianus, Tam promiscua sese instruxisset opera vt actū esset iam de crudo Turcarum collo. Nam si Romani Pontificis decimationib. sub christianismi iugum Turcę mitti possent. iam dudum essent sine gladio & hausta deuicti Germania tandem sapit, vacuo ventre Legatum remittens apostolicum. Sed libet per Parebasin Viatoris ac Pasquilli dialogum adponere. Est mihi amicus amicis. in Vtropia Insula. a Thoma Moro. suo penicillo egregie illustrata, Qui mihi hunc. columbę sub alas alligatum, deferendum tradidit. Talis est,

V. Cur Leo cardineum patrem demisit ad oras

Germanas, trutina res eget illa graui?

P. Non opus est multis labyrinthum inuoluere verbis

Quod rigidus posset ducere ad astra Geras,

V. Omnis homo mendax, mordaci radere vero

Nemo audet, dicam quę mihi cepta tamen,

Non dicam. P. dicas, V. regina pecunia cogit,

Fer loculos magni scepra Leonis habes?

Non amor illa mouet tam magna negocia, princeps

Singula nummus habet, cuncta moneta potest,

P. Est ne hoc esse hominū medicū. radicibus ipsis

Perdere, & in cęcum ducere cuncta chaos

V. Nomen adest medici, sunt cetera nulla, P. Machaon.

Si talis, quales credis adesse sibi

V. Nemo bonus. P. iustos Rhomana palatia pusan

V. Iulius exemplo est P. plana Leone fides.

Heu miseram Ecclesiam V. periit P. date numina amicū

Pontificem V. vt vero cœlica tuta duce,

P. Quod scripsi scripsi V. nulla est meta nota P. per orbem

Occultum fati lux finit esse nihil.

O si viueret Maximilianus, Qui doctis bonisq; omnibus sacra fuit ancora, operā celocem ferens non corbitā, Qui suis quantum acheronū mortuorū est, Quantum aquarū mari, Quam

num caelo stellæ, bonæ frugis attulit. O si viuëret patriæ pater.
 Proculdubio iam diuum adamantino albo a parçis nulli par-
 centibus inscriptus. Recte monet Phocylides *μηδὲ παρ' οἰχο-
 μῶνιδι καὶ αἰσ τρυχοῦτε δρ ἡτορ' ἔχκετ' ἴδ' δύναι' ὅ τε τ' ἴγ
 μὲν δρ ἐν αἰ' ἀνικτορ*. Hinc dicere solebat. vir vñdecunq; do-
 ctus D. Ioannes Stræler. Sueviæ II uir. DN. & amicus noster
 præcipuus. Certa dies nulli est. Mors certa. Incerta sequentum
 cura, locet tumulum Qui sapit ante sibi Mag. vir. Exincta pau-
 lum adfæctuum Tyranni, Lusi & ego aliquid in sacratissimū
 cæsarem, Non quod ille noui & per hoc aliquid inclyti splendo-
 ris ex nostris frigidis accipiat Elegis, per se enim tantus est, vt
 nihil huic addi. diminuiue queat. Verū vt his quasi voluntatis
 egregiæ symbolo. Si non omnibus emunctæ naris hominibus,
 ac mihi ipsi satisfacerem Satisfecisse autē me vel maxime puto,
 dum reconditam musicam excitans, qualemcunq; effudi con-
 centum. Quod si illi nullus Musarū lepos. nulla Charitū venus-
 tas. nulla deniq; seculi illius omniū studiorum genere beatiss.
 genuina accedit dignitas. Nihilominus nobis utroq; pollice cal-
 culū dabis. Cum tam multi doctis. indoctis, Tyretia ceciores.
 Tum carmine ineptiores q̃ in Tragedia Comici, totis viribus
 aliquid canant, Quo se quocq; possint. Tollere humo atq; virū
 volitare per ora victores. Hæc ego (nemo em̃ est qui non scri-
 bat suo cerebro) Quæ si placitura T. P. videro. Videbunt om-
 nes cæsarei quorum tu columna es MAXIMILIANI APO-
 THEOSIN a nobis non tam ingenio quam labore nuper He-
 roico carmine conscriptam. Vale vir præstantis. atq; me sub
 umbra alarum tuarum foue ac commendatum habeas in per-
 petuum. Tubingæ ex larario librario. Anno a conciliata Diui-
 nitate M. D. XIX. Mensis Maij die XV. ætatis suæ anno XIX.

In mortem diui Maximiliani Cæsaris P. P. P.
 Ioannis Alexandri Brassicani Poëtæ &
 Oratoris à Cæsare laureati Epi-
 cedion Elegiacū.

Irus inops, crassusq; cadunt, sunt omnia amare
 Regna necis, moritur crassus & Irus inops
 Maximus Æmilius. Princeps ter maximus heros
 Inclytus, Imperij firma columna sacri
 Pacis honos Cæsar. Cæsar clarissimus omniū
 Quos tulit a Pyllo terra Alemanna die.
 Nunc tenui lætho domitus. requiescit in vrna,
 Corpore, sydereo spiritus axe viget
 Omnibus inuictus fuerat, mors omniā vincens
 Heu tribuit fesso fila inimica colo
 Verū illi superū mores, adamantina fata
 Quem statuere diem, parca seuera secat.
 Maximilianus erat summis charissimus astris
 Cæsar, erat magno maxima cura Ioui
 Quare illū eripuit tandem mortalibus vñdis
 (Fœlix qui tali sorte vocatur homo)
 Multatulit mundo, Stygio qui imundior orco
 Maximus ille sago, Maximus ille toga.
 Nectar & ambrosiam bibit omni tempore viuens
 Nemo igitur credat Cæsaris esse mori.

Diui Maximiliani Cæsaris Epitaphium
Brassicano Poëta autore.

Forte inter superos mota est discordia olympo
Qui strepitus posset pellere nullus erat
Iuppiter Æmiliū Magnū vocat orbe citato
Mercurio, it monitis Cæsar ad astra nouis
Vix primū ingressus limen, facit omnia amico
Plena fauore, Igitur cum Ioue regna tenet
Nulla diu potuit consorte manere potestas
Nunc patitur binos patria vera Duces.

De Maximiliani Cæsaris obitu, Apollinis oracu-
lum per Brassicanum Poëtam.

Maximilianus vbi superis petit astra secundis,
Summaq; in æternū cum Ioue sceptrā gerit.
Aurea pax abit hinc, qui fortior omnia rumpit
Bistonios vincit Martius ardor equos
Carcere tum stygio properans furialis Enyo.
Cuncta rapit subita tartara ad usq; mora
Luciferis breuib; palmas super æthera tendens
Magna phalanx, tales mittet ab ore preces
O si iterū Cæsar vitalibus esset in auris
O vtinam nostris sceptrā teneret agris,
Ille breui nutu totum componere mundū
Hic potuit celeri bella fugare gradu

Omnibus est odio præfens sed gloria, verum
Dum fugit, ammissam quisquis habere cupit.
Vero verius.

Brassicani Poëtæ Elegia Cui titulus. Bellum
Quæ tandem est belli finis. Qñ horrida Erynnis
Desinet, omnigenis perniciofa malis.
Quando atam superi condent, qñ aurea mundo
Lustra ferent, satis est, dextera finis eat.
Iamdudū horrendi belli est cantata charybdis
Nota volant cunctis bellica damna plagis
Aurea pax abiit, solo prognata tonante.
Pacis vbi est sedes, cuncta quieta sedent.
Omnia diuino eloquio conscripsit ERASMVS
Germanis natus Roterodamus agris
Nemo tamen belli non belli inimica reponit
Agmina, tartareis non nisi nata vadis.
Sero Phryges sapiunt, nemo sapere incipit, omnis
Cras ait, incepti fausta erit omen aue.
Verū ego labra premam, cantata est fabula surdis
Nemo audit verum, nemo probata legit.
Quæ ratio est, q cuncta ruunt, q singula caeco
Tecta chaos, breuib; clara erit illa modis
Itur in antiquam scabiem, ruit omnis, eundū est
Sed quo omni magno est ianua clausa trabe.

Brassicani Poetae Dialogus

Pasquillus Mercurius

P. Quis belli ē autor M. Qui tartara ducit alastor

P. Quis docuit pacem M. qui regit astra deus.

P. Qui fit, q̄ cuncti cupiunt bella horrida, cuncti

Q̄ placidæ pacis munera habere negant.

M. Libera mens homini cœli datur orbe caduco

Nigra adeat, certo seu petat alba scopo

Verū omnes stupidi & diæ rationis egeni

Bella adamant, pacis cōmoda nemo sapit.

Inde fit vt misero totus ruat ordine mundus

Nulli certa via est, Lumina operta duci

Dum cecus cecum ducit, labuntur in antrum

Qualis item rex est, grex quoq̄ talis erit.

Apud Syluiam. In hospitio, iucundis,
amici sui Georgij Monachi.



In officina excusoria Ioannis Miller
Augustæ Vindelicorum. XIII.
Calen. Augusti. Anno sa-
lutifero. M. D. XIX.